



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiae,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra militia Ioannis I. contra Woringiam, & contra Petrum Regem
Arragonum. Cap. LXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

raci coram Richardo Imperatore sæculo ab-renuncians, monachalem habitum Duione in Burgundia assumisit.

De sacra militia IOANNIS I. contra Woringam, & contra Petrum Regem Arragonum.

C A P. L X I I I.

JOANNE ^{VIIII. L.} primus benignè annuens pre-cibus Comitis Montensis, Walrami Co-
mitis Iuliacensis, & ciuium Coloniensium, ^{tharingie &}
^{Brabantie} D^{xx.} obsedit Woringam, pessimum Diaboli ni-dum: è quo negotiatoribus & peregrinis à
prædonibus, qui illic morabatur, multo tem-pore plurima illata fuerant damna. Archi-episcopus Coloniensis, sub quo locus erat con-stitutus, anno C I O. C C. L X X X V I I I. die v. Iu-nij cum horrendo exercitu, qui contra Paga-nismum videbatur sufficere posse, aderat:
attulerant etiam compedes, manicas, & fu-nes, quibus Brabantinos captiuos vincirent.
Dux verò, tametsi decuplo plures essent ho-stes, obuiam tamen eis in aciem processit,
cùm acerrimè vtrimeque pugnatum fuit. Vbi
& Dux ipse, quasi unus de Machabæis, supra
modum strenuè sese fortiterque gessit, ac
post diuturniorem conflictum victor euasit,
captis Archiepiscopo Siuerto, Comite Gel-driæ, Dñ. de Valkenborch, Comite Mur-sensi, Comite de Nassau, qui postmodum
Imperator fuit, multisque alijs nobilibus &
militibus. Ex parte Ducis pauci corruerunt,
quorum præcipui fuere Waltherus Berthouts

G 4

Domi-

Dominus Mechliniæ, & Arnoldus de Zelhem, homo probus, moribusq. compositus. Destructa ergo Woringia, reuersi sunt in Brabantiam cum magna gratiarum actione, magnificantes Deum.

Tentauerat & ante annos vii. aliam sacram militiam. Siquidem Siculi impatientes libidinis & insolentiæ Gallorum, coniuratione facta anno Domini c i o. c c. lxxxii, die Paschæ ad pulsum campanarum quæ populum ad Vesperas conuocabant, omnes Gallos, vna cum vxoribus etiam grauidis contrucidarunt. Vnde proverbiū, Vesperæ Siculæ. Quo facto, ad Petrum Tarraconensem Arragonum Regem defecerunt: qui cum ob id à Nicolao iii. proscriptus esset, & hostis Ecclesiæ iudicatus (testes Æmilius, Platina, Blondus, & alij) mox contra eum Philippus Francorum Rex, Ioannes Brabantiæ Dux, & frater eius Godefridus de Virson, prædicata Cruce, profecti sunt. Est & in annalibus Mechliniensium, Ioannem Ducem, Pontifice imperante, eò profectum fuisse, posthabito, quod contra Geldrum & Leodiensem Episcopum gerebat, bello: cui præfectum reliquit Waltherum Berthouts Cancellarium, quartum eius nominis Mechliniæ Dominum. In hac profectione multi nobiles Brabanti & Mechlinienses moriebantur. Quin & ipse Rex è viuis excessit, Dux verò æger in Brabantiam est reuersus.

De